a 1529 ad 1533 = 251 ctr 185

Petrus Tomicki, Bonae reginae Poloniae

268

Sacra reginalis maiestas et domina domina clementissima. Post humilem servitutis et orationum mearum commendationem. Immortales ago et habeo maiestati vestrae serenissimae gratias, quod alteri fratri meo superstiti duarum praefecturarum, quas defunctus obtinuit, administrationem apud maiestatem regiam dignata est impetrare, ex quibus non tantum ego specto honorem et emolumentum, si quod inde fratri meo provenire possit; quantum quaero et opto, ut officiis probae administrationis suae, ipse et servitus eius grata esse possit vestrae serenissimae maiestati, utque comes et adiutor fiat mearum in republica actionum, et in negotiis maiestatis vestrae serenissimae procurandis. Et quidem hanc maiestatis vestrae serenissimae pietatem in me et in fratrem declaratam, uterque nostrum diligentissima servitute, et fida observantia optime mereri curabimus maiestati vestrae, cui nos et omnia nostra etiam atque etiam commendamus, felicissimamque esse maiestatem vestram, et cum serenissimo coniuge et liberis sospitem ac incolumem in multa tempora vehementer exoptamus. Datum